



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.23. Nicephorus Imperator. Irenis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Carolo etiam, quis crederet? cum ^{Sæculum IX.} Califa Aarone, qui toto ferme Oriente ^{A. C. 801.} potiebatur, & ad quem ante annos quatuor Legatos duos cum socio itineris ^{Ann. Eginh.} Judæo, nomine Isaac, miserat, amicitia intercedebat. Legatos mors in itinere sustulit. Isaac autem anno 801. rediit, & Pisas appulit, Carolo Imperatore in Italia commorante. Socium itineris adducebat Persam, Aaronis Legatum. Præterea Elephantem, aliaque Dona, exquisitissimos odores, & auro gemmisque tumentes vestes attulerat. Califa Aaron ^{Id. in vit.} amicitiam Caroli omnibus aliis præfere- ^{p. 99.} bat, dicere solitus, inter cunctos Principes solum Carolum honore dignum esse. Hinc cum Legati a Rege cum donis ad S. Sepulchrum missi in conspectum Aaronis venissent, non modo ea, quæ petebant, indulsit, sed concessit etiam Regi, ut sanctum Locum in sua potestate haberet. Atque id ipsum sine dubio missæ a Patriarcha Jerosolymitano claves vexillumque indicabant.

§. XXIII.

Nicephorus Imperator. Irenis obitus.

Cum Irene Imperatrix Legatum ad ^{Ann. Eginh.} confirmandam pacem misisset in Franciam, Imperator Carolus vicissim Jesseum ^{R r 5} Epis-

Sæculum IX. Episcopum Ambianensem & Helingaldum Comitem misit, qui fœdera pangerent. A.C. 802. Ecce vero, his Legatis Constantinopoli versantibus, Nicephorus Patricius & Logothetarum præcipuus seu

supremus ærario Præfectus, quibusdam Patriciis in suam factionem pertractis, se Imperatorem proclamari & Irenem Benefactricem suam in Regia custodia

Theoph. ann. tradi iussit. Dies erat Lunæ trigesima *i. Niceph. p.* prima Octobr. anno 802. Indictione undecima, qua etiam illico Nicephorus in

Magna Ecclesia coronatus est, populo novum Dominum ob insignem perfidiam furiis devovente. Postquam deinde ex ea expressisset, ubi Imperii totius Thesauri laterent, Dominam suam in Insulam Principis & Monasterium ab ipsa conditum proscripsit, unde iterum evocata mense Novembri tempestate admodum incommoda in Insulam *Lesbos* migrare compulit, eamque a quoquam conspici prohibuit.

p. 405.

Irene in illa Insula sequente mense Augusto eadem Indictione nona anno octingentesimo tertio vitam posuit, postquam sola annis quinque imperasset.

Eodem anno octingentesimo tertio Die Mercurii decima nona Julii Bardanes Patricius cognomento Turca, Natiolæ Præfectus, ab illius Provinciæ militibus Imperator salutatus, Chryso-polim usque

usque movit. At postquam integro o-
 ctiduo omnem viam, qua Constantino-
 polim intrare posset, tentasset, intelli-
 gens, imperium suum decrectari sponte
 recessit. Deinde timore Dei impulsus,
 & nolens, ut ambitus sui causa Christia-
 ni in bello occiderentur, missis ad Nice-
 phorum Legatis, litteras obtinuit, in
 quibus pollicebatur, nunquam fore, ut
 vel ab ipso vel ab aliis, qui in his Rei-
 publicæ turbis ipsi favissent, pœnæ ex-
 poscerentur. Huic Fidei publicæ non
 solum Bardani sed suis quoque datæ Ni-
 cephorus, Tarasius Patriarcha, & omnes
 Patricii subscripsere. Bardanes igitur
 fatis securum se existimans, Monachum
 professus, in Insulam Proteam, in qua æ-
 dificaverat Monasterium, se recepit. At
 perfidus Nicephorus, ipso Bonis omni-
 bus exuto, & præcipuis ejusdem Fauto-
 ribus in servitutem redactis, misit Lycao-
 nios cum mandatis, ut noctu in Insulam
 Proteam appellerent, Bardani oculos ef-
 foderent, & confestim, tanquam se igna-
 ro facinus patrassent, ad Ecclesiam con-
 fugerent. Patriarcha, Senatu, & omni-
 bus probis simulationem abominantibus,
 Nicephorus jurejurando edixit, Magistra-
 tus Lycaoniorum pœnas sibi morte da-
 turos. Videri nempe volebat necem
 Bardanis gravissime vindicaturus, Vir
 hypocrita, ut illa ætate nemo magis.

§. XXIV.